



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Nona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

quam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum; diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuò desuimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Nos autem ad aliud stultitiæ genus, quod in dignitate constitutos præcipuè dehonestat, gradum faciamus.

S E C T I O N O N A.

E C C L E S I A S T E S.

- VERS. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt.
17. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

NON tot procellis feruet Ionium,
 Non tot sub Arcto Luna puerpera
 Niuisque grandinisque nimbis
 Sarmaticas onerat nouales,
 Quot regna clades exitiabili
 Torrente inundant, cum diadematis
 Sceprique, non virtutis heres
 Rex viridi iuuenatur auro.

Infida

Infida regno dum Procerum cohors,
 Clauumque summa destituens rei,
 Regique respondens, pudendis
 Frena libidinibus relaxat,
 Vigilque anbelat prapropere dapes,
 Dum vix recludens Leucothoë diem,
 Lancesque craterasque primis
 Missilibus radiorum inaurat.
 Excisa quondam regna Ertheoclea
 Ter execrandi funeris auspicem
 Damasse, fraternique busti
 Dissidium stupuisse matrem,
 Videre Thebe, dissociabilis
 Cum flamma regum funera dissecat,
 Strateque Adrastæis cateruis
 Congeminat patriæ sepulchrum.
 Quisquis tenellâ sceptrâ vibrans manus
 Indulget annis, ancipiti metit
 Mucrone commissam salutem,
 In geminam properans ruinam,
 Sui atque regni. Nempe libidini
 Gemella tendunt vbera regie
 Sceptrum ac iuuentus, queis alatur
 Dedecorum malè sanus auspex.
 Eheu! cicatricum & sceleris pudet.
 Quò me voluptas præcipitem dedit
 Procacis aula? quàm probroso
 Implicuit Cytherea nexu?
 Quid ergo speres, marmore lubrico
 Si cespitantes impulerit gradus
 Palpo obsecundans? bulliensque
 Si iuuenum vituletur etas?

Y yyy 2

Ut

Ut Rex adequet nobilis Imperi
 Cum Sole metas, quot vitis tamen,
 Tot ille sceptris, tot lupatis
 Mancipat indecorem coronam.
 Beata tellus! nobilis indole
 Cum iura sceptri nobilium tenet
 Sanguis parentum, quem vetusti
 Stemmatis exstimulant trophea:
 Quem priua virtus cœtibus inserit
 Heroum, & astris equiparat soli
 Despecta calcantem, paternæ
 Iustitiæ decorisque alumnus,
 Qualem ministrum fulminis ardui
 Rex educavit pennigeri gregis,
 Aut vnguis heredem iubaque
 Marmarici generant leones.
 Ah! tantum Atlantem ne patriæ Patres
 Fidâ gementem destituant ope,
 Cervice concordi labantis
 Ferre iugum patriæ dolosi:
 Sed optimatum curia Principum,
 Prudensque cœtus consilantium,
 Firmare consentes laborent
 Sceptra Ducis, dominosque fasces.
 Non hos Falerno Bassaridum pater
 Ingurgitatos cum grege turpium
 Dementet, infamique mergant
 Naufragio calices dolosi.
 Nec teste Lunâ damna liguriant
 Opima census, donec ab æthere
 Pollucis inspectans gemellus
 Damnet aqualiculi saginam,

Sed

*Sed temperato mensa parabilis
 Delectet usu, dum stata tempora
 Famesque dat gustum, recusans
 Delicias operosiores.
 Sic regna florent nescia cladum,
 Si luxus aula moribus exulet,
 Sanisque sceptrorum probrosa
 Ingluues inimica curis.*

PROSA EXEGESIS.

SI vniquam viros gloriâ ac maiestate conspicuos stultitiæ labes in contemptum adducit, id certè in Regiâ fortunâ vel maximè cernitur: quæ velut in pharo vel montis alicuius vertice constituta, quaquaversum radios suos in subiectum longè lateque populum diffundit. Habet enim hoc magna fortuna, quòd nihil reatum, nihil occultum esse patiatur. Principum verò non solum domus, sed cubilia ipsa intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda proponit famæ. quo fit, vt nullum eorum stultitiæ secretam patrocinetur, sed potiùs tantò illa manifestius in se crimen habeat, quantò maior is qui peccat habetur.

*Principes
 omnium
 oculis ex-
 positi.
 Plinius
 in Panegy-
 r. Tra-
 iani.*

Et quidem tolerabilis esset ea calamitas, si in solâ Principis infamiâ staret hoc malum: nunc autem, cum stulto aut puero Principi Reipublicæ moles inctumbit, in totius regni perniciem ea seu stultitia seu improbitas redundat.

*Principum
 stultitia in
 Reip. re-
 dundat.*

Auertat igitur hoc imprimis Deus, Principes nominari pueros, & Patres patriæ dici impuberes, quibus ad subscribendum Magistri litterarij manum teneant, quos ad Consulatus dandos dulcia, & circuli, & quæcumque voluptas puerilis inuitet. Sanè fufis ad Deum

*Fl. Vopi-
 fcus in Ta-
 cito.*

*Princeps
 puer Reip.
 noxius.*

Y y y 3 precibus,

precibus, auertendum hoc malum. Nimis enim miserum est huiusmodi habere Imperatorem, qui nullam suæ dignitatis habeat rationem, neque quid sit Respublica nouerit: qui nutritium timeat, respiciat ad nutricem, manusque magistralis ictibus terrorique subiaceat.

*Sed magis
noxius qui
sensu puer
est.
1. Cor. 14,
20.*

Sed illos magis Principes auertat Deus, qui non tam ætate quam sensu pueri sunt (vtor verbis Apostoli) qui neque vlla sobria cogitatio est, nec vllus veræ laudis gustus: qui neque milites bello formant, neque prudentes iuri dicundo præficiunt: qui non in ore populi degunt, sed vmbraculis hortorum inter scorta abditi, velut ignaua pecora ad pastum abiecti sunt.

Ab his hominum portentis proficiscitur illud Væ, quod terræ denuntiat Ecclesiastes: quod haud dubiè maiore sensu vocisque contentione ingeminasset, si heredem regni, non sapientiæ suæ, Roboamum, despecto seniorum consilio, cum inconsultâ iuuenum turbâ insolere vidisset; & extenuatâ non minùs stolidè quam infulsè maiestate paternâ, ab iratâ plebe potissimâ regni parte deturbari.

*3. Reg. 12.
Cuspinia
in Histor.
Francor.*

Huic geminum Christiano æuo exemplum Gallia suppeditat. Cùm enim Pipinus Junior, acceptâ Aquitanîâ, auiti regni parte, comestationibus poculisque interdium noctuque vacaret, & prouincia interim cædibus vindique ac rapinis infesta redderetur; captus à subditis Pipinus, tamquam regno inutilis, Carolo Caluo traditus est: qui, communicato cum Episcopis consilio, Monasterij septis eundem mancipauit.

*Principum
vitia in
subditos
deriuantur.*

Et verò quis pro dignitate deploret, quot à tali Principe in Rempublicam vniuersam, tamquam in membra à capite, mala deriuantur? Quæ certè plurima deriuari necesse est, cùm in parte gloriæ suæ reponant subditi, si
Prin-

Principem vitâ referant. Plerumque enim, ait D. Basilii. subiectus populus solet se conformare eorum moribus qui potentiâ prævalent, ita vt, quales fuerint ij qui præstant viæ ducatû, talem esse necesse sit qui in vitam ducitur. Igitur & ignaviâ virtus languescere, & leges negligi, & statuta conuelli, & luxus inualefcere, & comestationes frequentari, & libidinum fomenta succendi, & tota denique Respublica in ruinam incumbere.

Quæ omnia longè veriora sunt, cum Optimates, quo- Optimates
comestationibus
dediti, &
valetudinem
enuerunt &
Rempub. rum munus est Reges in partem iuuare, publicæque salutis consulere, intempestiuus comestationibus ac deliciis eneruati, peiora peccant. Quid enim ab iis speres, quibus omne ius est in patinis, omnis in palato sapientia, omnis grauitas in ventris atque abdominis saburrâ; nisi vt laxatis ac dissolutis temulentia corporis animique neruis, clumbes ac inertes ignaviâ vitiisque computrescant? Quotidiano enim experimento probatur, ait diuus D. Leo
Serm. 8. de
Ieiunio
decimi
mensis. Leo, potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit salutis, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.

Igitur hi tales, quibus omnis hora meridiana est, qui suas ab ipso Solis ortu cœnas auspicantur, neque militiæ functionibus idonei sunt, & domi perniciosâ exempli contagione Rempublicam pessumdant: vt non immeritò Rex Antigonus temulentos Duces, inter pocula de- Plutarc. in
Apophth. prehensos, grauissimâ pœnâ multauerit. Cùm enim vidisset gregarios quosdam militari panopliâ graues, artificiosâ lacertorum vi hastas & magni ponderis saxa contorquere; eoque spectaculo delectatus, Duces exercitus euocari iussisset, vt iis præsentibus merito virtutem ornaret

naret encomio, deprehendit eos vino ingurgitados, sui-
 que muneris incuriosos. quæ res ita bilem ei mouit, vt iis
 in ordinem redactis, generosos illos milites eorum præ-
 fecturis donarit.

*Felix Resp.
 cui præst
 Princeps
 virtute,
 præditus.*

Quemadmodum autem infelix est regio, cui tales ob-
 uenere Præfecti; sic beata terra, cui Antigonus aliquis,
 aut alius non absimilis nobilitate, dominatur. Nobili-
 tate dico, non quæ fumosis auorum ceris, truncisque
 statuis, & multo stemmate censeatur, sed veris solidisque
 & Principe dignis virtutibus efflorescat. Generis enim
 initia clara posteris relinquere præstat, quàm accepta à
 maioribus contaminare.

*Herodian.
 in Macri-
 no.
 Xenophon
 lib. 8. de
 Institut.
 Cyri.*

Talis itaque sit Princeps, vt virtutis prærogatiuâ prin-
 cipem inter suos locum mereatur. Meritò enim Cyrus
 neminem imperio dignum arbitrabatur, nisi qui maior
 esset virtute, subditisque melior: aut si non omnium
 est ad hunc perfectionis apicem pertingere, ita saltem
 vitam instituat, vt audeat cum Neruâ dicere, nullius se
 sibi conscium esse, quò minùs, deposito imperio, priua-
 tus tutò posset viuere.

*Dion in
 Neruâ.*

*Princeps
 maiorum
 nobilitati
 respondeat.*

Sin etiam parentum fuerit nobilitate conspicuus, vi-
 deat etiam atque etiam, vt maioribus suis dignus appa-
 reat, eorum quæ ad subditos pertinent prouidus, con-
 stans in periculis, offensionum pro utilitate publicâ ge-
 nerofus contemptor.

*Senec. l. 1.
 de Cle-
 mentiâ,
 cap. 3.
 Princeps
 Reip. bo-
 num pro-
 curet.*

Denique sit eiusmodi, vt cum omnes tam supra se esse
 quàm pro se sciant: eiusque curam excubare pro salute
 singulorum atque vniuersorum, quotidie experiantur:
 ita gerat Rempublicam, vt sciat rem populi, non suam
 esse. Quo prodeunte in publicum, certatim omnes tam-
 quam ad clarum ac beneficium sidus aduolent. Hæc
 sint in animis subditorum erecta Principi templa, hæc
 pulcher-

*Tacitus
 l. 4. Annal.*

pulcherrimæ effigies ac statuæ: nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium verterit, pro sepulcris spernuntur.

Sed quoniam hunc apicem virtutis ac sapientiæ vix est vt in delicatâ purpurâ quis inueniat, & grauissimi Principum labores, quibus orbem terræ capessunt, magnis egent adminiculis; optandum est Regi, omnibusque votis paciscendum, vt tales Optimates habeat & Confiliarios, quibus in gubernando Reipublicæ clauo Cynosura sit lex diuina, & in omni deliberatione bonorum consiliorum obstetrix assistat temperantia.

Sacerdotes Heliopoleos accepimus Soli numquam vino litasse, sibi que ipsis vsu vini interdixisse, quod existimarent, Solem omnium rerum moderatorem, mundi que ipsius mentem, à vino & ebrietate alienissimum, viros que Principes, quibus aliorum regendorum cura commissa est, circa vinum maximè temperantes esse oportere.

O quæ species, quæ veneratio fuit Reipublicæ Romanæ, cum M. Curius Samnitium Legatis agresti se in scamno assidentem foco, ligneoque catillo cœnantem, spectandum præbuit! cum Q. Ælius Tubero fictilibus cœnans, Ætolorum magni ponderis vasa argentea repudiauit! cum Menenij Agrippæ funus sextantibus à populo in capita emendicatis elatum est! cum sedecim Ælios, magnos omnino viros, vno tempore, vna domuncula cepit, vnusque in agro Veiente fundus aluit! Beata tum Respublica, quæ tantos fouebat alumnos! quæ tantillo impendio sustentabat suæ dignitatis assertores, ac iam tum in semente ac spe non dubiâ orbis terrarum dominos; vt frequentior apud eos pultis vsus esset, quàm panis.

Zzzz

Quis

Quis in illâ ciuitate, tot frugalitatis exemplis nobilitatâ, tam perfrictâ frontis inueniri potuisset, qui mensæ suæ inferre auderet remoti littoris pisces, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem? Enimuerò vel ad famam erubuissent delicatolorum istorum, qui posterioribus sæculis parum lautè se pransos existimarunt, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innataissent, nisi æstiuâ in gemmis glacie Falerna fregissent. A quorum marcido ac pingui otio, nec minùs infami quàm sumptuosâ temulentia, quid tandem expectandum sit Reipublicæ, ipsius Ecclesiastæ potius quàm verbis meis penditore.

SECTIO DECIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio,
& in infirmitate manuum perstillabit domus.

METRICA PARAPHRASIS.

VIDES ut illa Regiis penatibus
Quondam inuidenda culmina
 Rimis fatiscant hinc & hinc patentibus,
Tignisque nutent pendulis?
 Dominoque pulso triste contubernium
Ventis parent & imbribus?
 Stabulisque nulli mugientes hospites,
Caulisque balantum greges?
 Quin mixta auena vilis vrtica obsidet
Opima fundi iugera,
 Densique pratibus cardui lympham bibunt
Interfluentis riuuli.

Qui